

A. F. J.
MEDITATIONES SUBITANEEÆ,
De
PRÆSTANTIA
CORPORIS HUMANI,
BREVIBUS APHORISMIS
COMPREHENSÆ,

QUOS

Suffragio & approbatione Ampliss. Colleg. Philosoph.
in Regia ad Auram Academia,

Sub MODERAMINE

CAROLI FRIDERICI
MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESSORIS Reg. & Ordin.
PASTORIS in Rändämäki, nec non Reg.
Acad. Svec. Scient. MEMBRI,

Pro LAUREA MAGISTERII
Publice defendet

MARTINUS TOLPO, N.F.

BOREA-FENNO.

In Audit. Super. die xxvi. Julii, MDCCL.

H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc. Finland.
JACOB MERCKELL.

Kongl. Maj:ts
TRO-MAN och ÖFVERST-LIEUTENANT,
Wälborne Herren,

HERR MARTIN SEGERCRANTZ,

Höggunstige HERRE.

DEn höga ynnest, Herr ÖFVERST-LIEUTEN. min k.
Fader och des anhöriga i mångfaldig måtto be-
vist, förbinder oss til en vördnadsfull ärkänsla.
I betraktan deraf, samt den ädelmodiga ömhet, Herr ÖF-
VERST-LIEUTEN. äfven för mig ens kildt å daga lagt, och
thet välbehag, hvarmed han anseft mitt ögnemål, at ge-
nom nyttiga Ittidier soka min upkomst, har jag tykt mig
åligga, at pryda detta mitt ringa arbete med Herr ÖF-
VERST-LIEUTENANTENS namn, samt at tilskritva och up-
ofra det samma Honom til et vedetmåle af min uprikti-
ga vördnad, i förtröstan, at Wälborne Herr ÖFVERST
LIEUTEN. med sådan ynnest min välmeling anskådar, som
den utaf diup ärkänsla väreligen härflyter. De stora tien-
ster, Herr ÖFVERST. LIEUTEN. giort Fäderneslandet, då
Han vid des räskaste ålder hållit sit lif och blod flere re-
for ospardt; och den nyta Herr ÖFVERST. LIEUTEN. seder-
mera otröttamt förskaffat det allmenna, genom en o-
förlikne-

förliknelig åhåga för den förfalna Landthushållningens
upphelpande , vitna öfverflödigt om den nijsi, hvärmed
Herr ÖFVERST. LIEUTEN. hela sin lifstid igenom
varit riket tilgifven ; och upväcker derjämte , så
hos mig som flere , åtanckan deraf en innerlig glädie
och en oaflåtelig vördnad. Min önskan är , at den
Högste värdes bekröna Herr ÖFVERST. LIEUTEN. med
en orubbad sällhet , och giöra des älderdom lätt och
långvarig ; samt då Herr ÖFVERST. LIEUTN. blifver
trött af jordisk lefnad , låta en oförvansklig evig
välgång blifva Dess sakra arf och rikaste vinstd. Jag
innesluter mig för öfrigt uti Herr ÖFVERST. LIEUTEN.
höggunstiga åtancka , och giör mig försäkrad , at
Herr ÖFVERST. LIEUTEN. , som beständigt med kärlek
omfattat studiers idkare , lärer äfven framgent låta
mig vederfasas den gunst , hvaraf jag til min hugnad
mångfaldiga kännemärcken redan niutit. Framhär-
dar ouphörligen

Walborn Herr ÖFVERST-LIEUTENANTS

ödmukaste tjenare,
MARTIN TOLPO

VIRO admodum Reverendo atque Praclarissimo,
Dn. Mag. JOHANNI M. GRÄUBL
Ecclesiarum Raumöensium urbicæ & ruralis PASTORI & PRÆ-
POSITO Gravissimo, Scholæ urbicæ INSPECTO-
RI Adcuratissimo.

VIRO admodum Reverendo atque Praclarissimo,
Dn. Mag. MARTINO GRÄUBL,
RECTORI Scholæ Cathedralis Aboënsis Dignissimo, Meri-
tissimo. AVUNCULIS optimis, quovis honoris
cultu prosequendis.

VIRO plurimum Reverendo atque Praclarissimo,
Dn. Mag. JOHANNI C. HACKS,
Ecclesiarum, quæ DEO in Westfälx & Totkijärvvi colliguntur,
PASTORI Dignissimo.

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo VIRO,
Dn. Mag. JOH. LAIHANDER,
PASTORI Ecclesiarum in Eura, Kiukais & Hongilax Vig-
lantissimo. AFFINIBUS meis Dilectissimis, Honoratissimis.

VIRO admodum Spectabili atque Equeissimo,
Dn. NICOLAO TOLPO Fil.
NOTARIO EXTRAORDINARIO in REGIO Dicaferio Magni Ducatus
Finlandiae, ut & JUDICI TERRITORIALI vicario,
FRATRI ut unico, ita & Optimo.

In tesseram reverentia, gratitudinis atq; amicitiae, ob plurima
beneficiorum documenta, quibus me amplecti nunquam non
dignati estis, levissimum hocce ingensis specimen, cum omnigena
felicitatis & salutis appreceptione, offert

NOMINUM VESTRORUM

cultor humillimus & observantissimus,
MARTIN. TOLPO.

Q. F. F. S.

APHOR. I.

Onibus animantibus sapientissimus Conditor ita prospexit, ut nihil iis desit, quibus ad vitæ sustentationem, ad habitaculum, ad defensionem, & cetera vitæ necessaria, opus est. Ita stupendæ eorum multitudini nunquam deest pabuli sufficientis copia; & organis quæque instructa sunt, quibus convenientem sibi cibum colligere & in usus suos convertere valent. Instinctus simul illis est inditas, ut, quæ ad sustentationem suam pertinent sibiique utilia sunt, queant dignoscere; quæ vero in aliorum usum sunt destinata, ea intacta relinquant. Convenientissima porro cuilibet speciei data sunt a natura contra injuriam elementorum vestimenta, functionibus eorum & habitationibus congrua. Neque armis ea destituta esse voluit Creator; sed possidet quodlibet defensionis media sibi convenientissima. Hæc omnia, inquam, & innumera alia, in animalium & economia adeo sapienter sunt constituta, & corporis structura vitæ generi aliisque circumstantiis ubique adeo provide attemperata, ut vel in abjectissimo verme, quod miremur & stupeamus, abunde adsit.

A

APH.

APH. II.

Ad superiora adscendendo agmen claudit anima-
lis regni homo, animal illud ad omnia paratum, qua-
drupes, tripes, bipes erectumque, cui præ ceteris o-
mnibus concedenda est eminentia; non modo animæ
rationalis respectu, sed etiam domicilii illius, quod
tantus hospes inhabitat, corporis hujus organici; quod
vel exinde apparet, quod homo, tanquam naturæ com-
plementum, ultimo, & quidem deliberato consilio &
familiari Numinis manu curaque condebatur, &c.,
paratis jam largiter omnibus, in mundi theatrum
introducebatur, tanquam spectator & dominus ope-
rum divinorum.

APH. III.

Fuere quidem multi, & sunt forte hodienum, qui
præstantiam nullam corpori humano præ brutis com-
petere judicant; sed ex adverso his a natura concessas
esse varias prærogativas, quibus carent homines, con-
tendunt. Animalia enim reliqua, inquiunt, pro-
deunt in universum vestita & armata, moxque sibi de
necessariis propicere norunt. Homo autem nudus,
inermis omniumque rerum egens in universum proji-
citur, & novercam plane expertus est naturam. Que-
runtur, quod non magnitudine corporis æquemus e-
lephantes, fortitudine leones, velocitate cervos, le-
vitate aves; quod sagacitate narium canes nos vin-
cant, acie luminum aquilæ, auditu apri; & ita por-
ro. Sunt vero hujusmodi querelæ in divinam bonita-
tem

tem & humanum genus injustæ. Est enim talis in homine membrorum conformatio, quæ ad animæ munia & vitæ necessitates est convenientissima, quæque insignem illi eminentiam conciliat. Et, si quid alicubi desiderari videretur, id alibi abunde compensatur. Nihil ibi defectuosum, superfluum nihil, nihil sapientissimis finibus & usibus non attemperatum.

APH. IV.

Quod cum jam breviter ostendendum nobis sit, non lubet in anatomia latifundia expatiari, & inde argumenta pro stabilienda humani corporis excellentia conquirere, ne falcem in alienam messem immittere videamur. Id generatim dixisse sufficiat, esse corpus humanum organum incomparabilis artificii, ex innumeris organis arte inimitabili conflatum. Quidquid in geometria occurrit exasciati, in architectura magnifici, in mechanica elegantis, circumspecti in statica, amoeni in optica, admirandi in acustica, in hydraulica & hydrostatica ingeniosi, id omne ad corpus humanum construendum videtur confluxisse. Eadem leges, quæ universum sustinent & ordinem illi conciliant, obtinent in corpore nostro. Majorem admirationis materiem detegimus in intestinis humanis, quam in telluris penetralibus; & unicus tendo musculi vel nervi majori arte constructus est, quam pyramides omnes Ægyptiorum, & quidquid humana ars effice-

re valuit. Quis itaque talē machinam vili pendat, & non potius artificis sapientiam adoret & veneretur?

APH. P.

In structura partium interna animalia reliqua, præsertim quæ dici solent perfectiora, non multum a nobis abidunt. Erecta vero & ad omnes motus suscipiendos aptissima corporis statura nobis præ illis data est, præstantiam quandam & dominium in res creatas indigitans. Hinc *Ovidius*:

*Pronaq; cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit; cælumq; tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Videri quidem posset, ac si status corporis humani erectus esset artificio & convetudine comparatus. Idem enim Poëta alibi de infante:

Mox quadrupes, rituq; tulit sua membra ferarum.

Intendisse tamen naturam hanc staturam nostram, eamque esse censemus naturalem & convenientissimam, probat *Rajus* ex insigni inæqualitate, quæ manus & pedes nostros respectu longitudinis intercedit; utpote etiam exinde, quod majori multo magnitudine & vi musculi genuum & pedum, quam manuum instructi sint, unde apparet, illos laboriosioribus negotiis, nimirum festinendo & movendo corpo-

ri,

ri, esse dicatos. Si porro quatuor pedibus nobis fuisse incedendum, deterioris præ reliquis animalibus redditi fuisset conditionis, ita enim facies nostra facta fuisset horizonti parallela, & obtutus continuo in terram defixus. Tum etiam magna parte usum, quos, ut creaturæ rationales, nobis manibus nostris comparamus, fuisset carendum. Idem ex iuncturis & articulationibus pedum manuumque nostrarum, quas oppositas judicat illis, quæ in brutis adsunt, probare voluit olim *Aristoteles*; & nonnulli anatomicorum ex modo, quo conus pericardii humani diaphragmati annexitur, atque exinde, quod careat homo aponeurosi illa, quam utrinque ad spinas vertebrarum collie possident animalia herbivora, caput pendulum habentia. Per staturam vero hanc erectam visum undique protendere possumus. Est illa etiam capiti sustinendo convenientissima; quod cum plus cerebri, proportione corporis habita, contineat quam reliquorum animantium, adeoque gravius sit, ægre a collo horizonti parallelo fuisset sustentatum. Cerebri hæc magnitudo, in qua nec elephas inter quadrupeda, nec psittacus inter aves, nec inter pisces balæna, quamvis sint in suis classibus maxime cerebrosa, nobis comparari possunt, nova est & ingens hominis præ reliquis animantibus eminentia; in primis, cum hic sedem suam habere animam immortalem, quatenus hinc nervi omnes arbitrio nostro subjecti exeunt, multi credant.

APH. VI.

Adest in corpore humano ubique symmetrica venustas, eaque staticæ necessitati attemperata. Partes, ex quibus illud compositum est, sunt vel monadicæ, vel in binario aut plurali numero. Monadicarum aliæ in medio corporis constitutæ sunt, ita ut linea ex capitis medio ducta illas pertranseat, vel tantum ad hoc quantum ad illud latus inclinant, vel, si in uno latere situm acceperunt, oppositam sibi habent aliam ferme æqualem corporis partem. Ea quæ bina vel plura nobis concessa sunt membra, ex utroque corporis latere decore sunt suspensa, ita ut una pars alteri qua similitudinem & æqualitatem respondeat. Ita non formositati modo sed æquilibrio etiam corporis, ut linea directionis cum ipsa basi respondeat, consulitur.

APH. VII.

Fatemur, hominem auxilio aliorum egentem prodire in hunc mundum; sed sapientissimo hoc factum est consilio, societatis humanæ constituendæ & confirmandæ causa. Abundat etiam natura aliorum animalium exemplis, quæ itidem cura parentum egent. Quod vero nudi in hanc scenam prodeamus, id pro beneficio potius, quam injuria aliqua naturæ est reputandum. Nitidissima enim & omnium elegantissima cute circumvolvimus. Concessa quoque jam nobis est libera facultas, rationis & manus ope, vesti-

vestimenta varia confidere , eaque pro tempestatum diversitate , mutare , jam pelliceis jam sericeis indui; quæ tamen nunquam variare , si natura vestitus nostri curam gesisset , potuissemus. Ita extulassent artes vestiariae omnes , quibus tamen jam ingens hominum multitudo vitam sustinet , quæque ingenium humanum accidunt. Conducunt præterea vestes personarum & sexus discrimini , & frictione sua insensibili transpirationi promovendæ.

APH. VIII.

Inermis quoque homo in hoc universum est projectus. Sed decuit imo oportuit regem naturæ non armatum nasci. Voluit naturæ arbiter hoc modo indigitare , illum ad tranquillam & pacificam vitam collendam creatum esse. Nihilominus natura & hoc in negotio illi meliorem in modum prospexit , ita ut dominium suum in res creatas melius exercere jam valeat , quam si ad certa arma natura eum determinasset , quæ extra usum portantibus oneri & impedimento sunt. Homo autem , manus ope , potest varia arma confidere , quorum ad quascunque occasiones usus est , quæque non minus modo , ut brutorum , sed etiam eminus agere possunt ; & quibus reliqua animalia subjugare potest , illasque facultates , in quibus excellunt , ex. gr. robur bovis , celeritatem equi , sagacitatem & vigilantiam canis , &c. in suos usus convertere.

APH. IX.

Fecimus manus nostræ mentionem. Hæc ὅγειαν
 ἔγραψεν Aristoteli jure dicitur, qua animalibus omnibus
 immane quantum antecellimus. Quidquid enim mens
 excogitare valet, hæc effectui dat. Hæc arte stupen-
 da ex pluribus digitis, ossibus, articulationibus &
 musculis est coagmentata, ut plicatilis sit, & ad o-
 mnes motus peragendos accommodatissima. Absque
 membro hoc admirabili vitam veluti pecora transegil-
 semus. In speluncis habitandum nobis tuisset, absque
 ædificiis, vestimentis, frumento, vino, oleo, igne.
 Potum aqua, victum nuces & glandes, paucæque aliæ
 productiones terræ naturales, suppeditassent. Injuriis
 omnium expositi vix ab insultibus abjectissimarum
 creaturarum nos tutari potuissemus. Manu vero vi-
 tam hanc, qua fruimur, commodam & abundantem de-
 bemus, innumeraque artificia; in quibus est ars illa di-
 vina scribendi, qua, ductis in papyro nigro liquore
 lineis aliquibus, transmittimus cogitata nostra non
 modo ex uno orbis termino ad alium, sed etiam ad po-
 steros, conversamur cum mortuis, eorumque obser-
 vationibus & inventionibus fruimur.

APH. X.

Quemadmodum membræ quælibet humana sunt
 collocata convenientissimo loco, tam ad ulum, quam
 ornatum & mutuum auxilium; ita sensus, ut cum
 Cicerone loquar, interpres ac nuntii rerum in capite tan-
 quam

quam in arce mirifice ad usus necessarios & facti & collocati sunt. Fateor, hominem vigore sensuum a brutis non nullis superari. Sed etiam nobis hoc in negotio, de quo gloriemur, concessum aliquid est. Magnopere enim dubito, an animal ullum & que exquisitum sensum tatus possideat ac homo; nam in apicibus digitorum copiose collocatae papillulae nerveae pyramidales vim subtiliter cognoscendi qualitates tactiles nobis largiuntur. Et quamvis brutorum aliqua sensibilia vel e longinquo magis percipient, nobis ad breviorem distantiam obvia, vel etiam ea apprehendant, quae nostros sensus non afficiunt, ad pauca tamen restringuntur objecta; hominis vero sensatio latioribus multo limitibus gaudet. Exemplo sit decantata illa canum sagacitas singularis, qua odorum ductu ferarum & dominorum suorum vestigia e longinquo dignoscunt. Ejusmodi tamen canis sagax in hortum fragrantissimis floribus plenum immisus nullam inde percipit voluptatem, aut variantium tensionum signa dat, ubi tamen humanæ nares multiplici varietate afficiuntur. Coëgit sentienti vim nostram intra justos limites Creator sapientissimus. Nimius enim sensuum vigor mentis aciem obruere potuisset. Ut taceam, illos, qui de sensuum suorum hebetudine conqueruntur, haud raro facultatum & instrumentorum abusu eam ipsos sibi conciliasse; prudenti vero usu posse lensus ad majorem exactitudinem elevari. Subveniunt etiam nobis instrumenta arte humana excogitata. Ita admota ad aurem tuba acustica audiendi vi omnia animalia multis superantur.

mus parasangis , & vitris maxima & minima naturæ, maculas in planetis & acaros in caseo , scrutamur. Nec magnitudinem , vires & celeritatem , quarum major nonnullis animantibus aliis concessus est gradus , decet hominem illis invidere , utpote qui harum facultatum eum , qui sibi convenientissimus est , accepit ; & cuius usui animalia reliqua iis quas obtinuerunt, dotibus inservire tenentur , quique ipsorum elementorum robore ad negotia sua peragenda uti potest. Suppediant huic animali aér & aqua alas , quibus , binorum mensium spatio , per oceanum , quem transmittere nec aquila audet , ex Europa in Americam transvolare potest.

APH. XI.

Sed fronti humanæ , tantillæ licet corporis parti , quanta inest majestas ? Cum reliquorum animantium facies lugubre quid & abjectum spiret , in humana gratiæ omnes fedem acceperunt , & omnia ejus lineamenta ad elegantiam & perfectionem conspirant. Hic , tanquam in ipso microcosmi arce , anima reginæ instar operationes suas exserit , ita ut ejus insoles prodatur , & , quam quisque personam agat , inde cognoscatur. Hinc memorabiliter ab Ecclesiaste Cap. XII. r. facies humana assimilatur plateæ , ubi nimirum affectus in publicum prodeunt , & animæ peragitur negotiatio. Vultus itaque pro motu animi & varia constitutione

tione muscularum iam latus jam tristis est, & tacitum
 mentis sermonem prodit; in primis sub ritu fletuque.
 Cumque brutorum animantium frons plerumque sit
 uniformis, quot capitum humanorum myriades, to-
 tidem etiam facies diversas constituere voluit Creator,
 ne ex ejusdem formæ continuo aspectu nos tñderet
 humanæ societatis, sed ut grata varietas delectatio-
 nem pareret. Sed quid loquor de humana societate?
 Illa nulla esset, si darentur facierum humanarum in-
 dicretæ effigies. Leges & jura, præmia & pœnæ,
 publica privataque fides, vana essent nomina. Cædes
 committere, temerare thalamos, in bona aliorum
 grassari non vererentur illi, quibus metus Numinis
 nullus, & qui humanam perspicaciam sub hac simili-
 tudine eludere possent. Incertitudo adesset in omni
 contractu. Susque deque omnia in negotiis & com-
 merciis verterentur. Impunitas atrocissimis etiam
 criminibus esset concedenda. Non desunt in historiis
 tragœdiarum ex apparenti tantum facierum similitudi-
 ne ortarum, exempla, qualia sunt pseudo *Demetrio-*
rum & in patria personati *Nic. Sturii*. Quantam ita-
 que confusionem perfecta facierum similitudo in orbe
 pareret? Ut vero hæc incommoda averterentur, &
 securitati tranquillitatique humani generis consuleret
 Numen, eam constituit facierum diversitatem, qua-
 non gens modo a gente, sexus a sexu, ætas ab ætate,
 sed etiam quodlibet individuum ab altero potest mani-
 festo dignosci. Ut vero discernerentur homines ab in-
 vicem, non luce modo præsente, sed etiam in tene-

bris ab ipsis cæcis, qui alias continuis deceptionibus escent expositi, & absentes quoque, immo post fata etiam nostra, cuique homini diversum quoque indit vocis sonum, diversamque manus scripturam.

APH. XII.

Loquela porro homini soli est concessa, neque ulli animanti, illa enim inconditos tantum & confusos edunt sonos, nobiscum communis. Quamvis vero certæ aves prolixo labore adigi queant ad aliquot sonos articulatos proferendos, pauci illi sunt, nec exprimendis conceptibus interventes. Homines vero, ne exceptis quidem mente captis & mutis, vel sermone vel aliis signis, cogitata sua aperire, & aliis communicare solent. Ex usu vero sermonis innumera in formam humanam provenierunt commoda, & hoc potissimum internuntio societas & coit & conservatur. Sed jam in medio iucundissimi stadii, ob temporis, qua premimur, angustiam summam, subsistendum nobis est. Vel ex allatis apparere crediderim; subscriendum esse Fenelonii judicio : *Le corps est patri de boue, mais admirons la main qui l'a faconne. Le sceau de l'ouvrier est empreint sur son ouvrage. Il semble avoir pris plaisir à faire une chef d'oeuvre avec une matiere si vile.* Vere quoque olim judicasse Seneceam : *Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est? Quidquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde quisquis es iniquus estimator fortis humanae, cogita quanta nobis tribuerit pars noster, quanto*

quanto valentiora animalia sub iugum miserimus; quanto velociora consequamur: quam nihil sit mortale, non sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento pervium est, sideribus velociorem, quorum post multa secula futuros cursus antecedit. Tantum denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum supra alias acervatarum. Circumcas licet cuncta: Et quia nihil totum invenies, quod esse malles, ex omnibus singula excerptas, que tibi dari velles. Bene estimata natura indulgentia, confitearis necesse est, in deliciis te illi fuisse.

Confitebor Tibi, quia mirabilibus modis mirabilis factus sum a Te: mirabilia sunt facta tua; quod anima mea agnoscit probe.

Psalm. CXXXIX. v. 14.

SOLI DEO GLORIA.



AUCTORI

Clarissimo,
Consangvineo dilectissimo.

Onibus equidem in confesso est, quot quantisque anima dotibus brutis antecellat homo; quatenus vero quoque jure ille de felicitate ac dignitate respectu corporis sibimet praे his gratulari queat, leviter certe aut fugitivo oculo rem consideranti non patet. Est itaque hæc inter hominem & bruta comparatio, ut ardua & altioris indaginis, ita jucunda & utilis; quippe qua gloriā Sapientissimi Creatoris mirum quantum illustrat, modo a digno rerum estimatore instituatur. Hujus nomen Tibi Clar. D. CAND. quoad nobilem hanc comparationem jure vindicas, cuius argumenti adeo felicem in presenti egregio opere Te præstitisti interpretem, ac decet solerter natūra scrutatorem. Ast quamvis argumenti subtilitas multorum forte eluserit perspicaciam, torseritque ingenia, in re dubia Ipse tamen haud dubius, quibus nominibus homo quoad corpus brutis præstet, genuinis firmisque rationibus satis argute dilucide. que

que ostendisti ; adeoque rem vix tangendam , acu
quasi tetigisti . Non est quod landibus Tuis ulla-
tenus depraedicandis immoror ; eas enim satis super-
que declarant publica Tua specimina , quorum hoc
honoris premiuque hand longe Te exspectantis fert
præsagium . Accedit , quod tam modestia Tua ,
quam arcta illa cognatio , qua me Tibi junctum
mibi gratulor , quodcunque laudum Tuarum pra-
conium a me projectum respuat . Mearum par-
tium unice duco , ut hac occasione gratulabundum
erga Te animum , verbo faciam testatum . Ex
animo Tibi gratulor virtutem haud fucatam , cui
singulari industria sociam adjunxisti eximiam eru-
ditionem . Gratulor , post bene expeditos Acade-
micos labores , Tibi lauream , qua ceu indubio pi-
gnore atque insigni virtutis & eruditionis prope-
diem ornaberis . Insuper ut Tibi semper Divina
benedictio , comitis ad instar ut exoptatissima sic
indivulsa adsit , exoptat , vovet

JER. WALLENIUS.

Clarissimo Domino CANDIDATO,
MARTINO TOLPO,
FAUTORI suo singulari.

Οι μολογεῖται ἀγαθῶν ἀκάντων κυριώτατα ἔναις ἐν Θρα-
πίνη Φύσει νῦν καὶ λόγου, καὶ τέτοις γε μάλιστα πάμπο-
λυ τῶν ἀλόγων ζώων διαφέρειν τὰς ἀνθρώπους. Εἴ δέ τις σίεται
ὑπερέχειν ἀυτὰ τέτοιν, ὅτι ηττῶν ισχὺς ἀνθρωπίνῃ τῆς τὸν ἀλ-
λων ζώων δυνάμεως, εἰοι ἐλεφάντων καὶ ταύρων καὶ λεόντων,
ἵνω πολλῷ, μᾶλλον δὲ παντὸς, διαμαρτάνων. Καὶ θν οὐκέτι
ματι κατὰ πολὺ ὑπερφέρειν τῶν Θηρίων τὸν ἀνθρωπον, ὡς μά-
λιστα διαπεπονημένως δηλοι, ὡς Φίλτρατε τόλπω, η περφορά
ΣΥ οιατειθή ὡς' ἐικότως ἐγκωμιάζειν σε ἄπαιντας τὰς τῆς σο-
Φίας ἐραστάς. Τό ἐπ' έμοι προθύμως συνήδομαι Σοι, ὡς Φί-
λοτης, τύτσε τῷ ἐπιχειρήματος, ὀλοκαρδίως ἐυχόμενος δύναται
Σοι τὸν διτῆρα πάντων έάων τὸν πανάριτον, πόνων καὶ πα-
δείας ἀθλα μέγιστα καὶ ἔχαιρετα.

Ita paucis gratulari voluit
WILH. R. FALCKEN.